

Forſan igitur eorum, quae intime coniuncta eſſe ſolent, unum tantum, altero ſubintellecto, nominare voluit.

§. 25. Praeter iam allegatos Auctores huic ſententiae additi ſunt Chryſoſtomus (a), Theodoretus (b), Claudius Eſpencaeus (c), & denique Przipkovius (d), qui ſatis confidenter quidem, ſed nimis ſtoide hanc ſententiam manifeſtiorẽ eſſe putat, quam ut multis probari debeat.

Percuſſio-  
nes Mini-  
ſtrum Eccle-  
ſiae dede-  
cent.

§. 26. Cum igitur ſatis iam euictum atque demonſtratũ ſit, in loco noſtro de violenta percuffione agi: ipſa luce meridiana clarius eſſe puto, eam ab omni Eccleſiae Miniſtro ſedulo fugiendam eſſe. Fugient eam omnes, qui uniuerſas honeſtatis leges migrare erubelcunt. Non dicam, eam legibus Diuinis atque humanis eſſe contrariam. Hoc enim ex dictis ad oculum patet. In hoc tantum paucis inquiremus, an Epilcopus auditores ſuos vel alios percutiens etiam decori leges violet, taleque quid committat, quod perſonam & officium ſuum dedeceat. Atque hoc quoque nemo facile, credo, in dubium vocabit. Si enim cuique bono & honeſto viro omnes privatae & ex vindictae cupidine ſulceptae percuffiones conſiſtionesque opprobrio eſſe ſolent: quanto igitur magis illae Eccleſiae Miniſtro dedecori erunt. Imprimis enim Epilcopum oportet eſſe irreprehenſibilem, i. e. talem, cui nullum crimen merito obiici poſſit, quod ad muneris dehoneſtationem faciat. Epilcopi omnium fidelium totiusque gregis, ut in omnibus virtutibus, ita etiam in manſuetudine, patientia atque continentia exemplar eſſe debent. Vnde ſatis egregie hac de re Chryſoſtomus (e) ſcribit: *Eum, qui aliis praeeſt, tanta decet gloria virtutis excellere, ut inſtar ſolis ceteros, veluti ſtellarum igniculos, ſuo fulgore obſcuret.* Contrarium autem in Eccleſiae Miniſtro percuffore offendimus: hic enim non virtutum ſuarum fulgore alios obſcurat, ſed potius, iudice Aegid. Hunnio (f), Miniſterium ferocia ſua deformat. Comparantur Eccleſiae Miniſtri cum Angelis, Paſtoribus, Parentibus & Medicis: hos igitur ſi imitari volunt, quomodo in eos, qui fidei accurate ſue commiſſi ſunt, laeuire, iisque plagas & vulnera infligere poterunt? Conferuntur etiam aliis auium; his autem aues pullos ſuos protegere ab omni que iniuria defendere, non autem percutere ſolent.

§. 27.

a) T. 4. Opp. f. 1490. (b) T. 2. Opp. in 1. Tim. 3. 3. f. 181. (c) Opp. p. 41.

(d) in b. 1. (e) Hom. 19. in 1. Tim. 3. 3. All. Rixnero Inſtruct. Mor.

h. 2. c. 1. p. 445. (f) T. 4. Opp. Lat. in L. L. C. C. ad Tit. 1. 7. f. 835.